

- II. Prophetiam hanc jam esse impletam in reductione ex captivitate Babylonica testatur Nehemias c. I, 8. 9. 10. Memento, inquit, verbi, quod mandasti servo tuo dicens: cum transgressi fueritis, ego dispergam vos in populos, & si revertamini ad me, & custodiatis præcepta mea, & faciatis ea, etiamsi abducti fueritis ad extrema cœli, inde congregabo vos, & reducam in locum, quem elegi, ut habitet nomen meum ibi. Et ipsi servi tui & populus tuus, quos redemisti in fortitudine tua magna, & in manu tua valida. *b)*
- III. Promissio hæc Dei est conditionalis, si nempe acturi sint veram pœnitentiam. Jam verò non agere possunt veram pœnitentiam, dum & quamdiu verum repudiant Mesiam. Suo autem more agere eos pœnitentiam Deo est ingratisimum. Sæpenumero enim indixerunt jejunia publica, cum primis anno 1502. solemne & in toto orbe notorium jejunium ubivis instituerunt, ubi multis precibus & lachrymis Deum sollicitarunt. Quia autem per totos 1600. annos eos Deus non audivit, nec preces, lachrymas, & multivaria eorum jejunia respexit, hoc etiam argumento est, eos non esse amplius populum Dei, nec pœnitentiam eorum in falsa religione posse esse veram. *i)*
- IV. Promissiones hæc post destructam Judæorum politiam accipiendæ sunt spiritualiter. Sic Prophetiæ Esa. XI, 11. Ezech. XXXVII, 22. impletæ sunt Act. II, 5. 9. 10. Ipse R. Dav. Kimchi c. XI. Esaïæ spiritualiter intelligit, ut & R. Sal. Jarchi c. II. Esa. v. 2.
- V. Dicit Deus, percussurum se fœdus novum cum Israëlitis Jer. XXXI, 31. non quæ illud erat, quod pangebatur cum patribus ipsorum in educendo eos ex Ægypto. Dicendo autem novum antiquavit vetus Ebr. VIII, 13. Et quia etiam apud ipsum Jeremiam dicit, non amplius memorandam esse arcam fœderis c. III, 16. Ergò & hanc ob causam non extendenda est prophetia Moïsi ultra tempus, quo incepit novum Christi Testamentum.
- VI. Non tantum Dan. IX, 27. dicitur, consummationem decisam esse, de quo infra specialiter agemus, sed etiam Jer. XVII, 4. relinqueris ab hereditate tua, quam dedi tibi, & servire te faciam inimicis tuis in terra, quam ignoras: quoniam ignem succendistis in furore meo, usq; in æternum ardebit. *k)*

Ii

VII. Quo-

*b)* Müll. in Jud. c. 17. *i)* Helvic. in Vindic. *k)* Idem Tom. IV. Giesf. Disp. 15.